



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoquoque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XXVII. Ad planiorem divinæ pulchritudinis intelligentiam,
præmittuntur generales quædam de natura pulchri notiones: ultrâque
pulchritudinem sensibus notam, aliam quoque reperiri merè ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

benignè sibi oblata ab eo fuerat. Altera, tantam nihilominus supremi illius Judicis bonitatem esse, ut pergat etiam ibi paterno eas obtutu respicere, totoque pietatis affectu complecti, cujus esse adhuc possunt in miserrimo, sed justissimo æternæ desperationis suæ statu capaces: utpote qui *diligit omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit.* (Sap. II.)

CAPUT XXVII.

Ad planiorem divinæ pulchritudinis intelligentiam, præmittuntur generales quædam de natura pulchri notiones: ultraque pulchritudinem sensibus notam, aliam quoque reperiri merè spiritualem, statuitur.

DUæ mihi causæ suaserunt, ut inter perfectiones divinas ultimo loco de pulchritudine agerem. Altera, quòd hæc veluti quoddam totum est, ex omnibus reliquis, ceu ex totidem suis partibus coagmentatum: unde nec plenè intelligi sinè prævia illarum explicatio poterat; & illis subjuncta eas rursus omnes exhibitura erat sub una generali appellatione,

H h h

at-

atque specie collectas. Altera, quòd eadem objectum est, nullo non alio ad voluntatem sibi conciliandam validius. Quare convenientiorem locum videbatur esse habitura post bonitatem, quæ & ipsa voluntatem peculiariter rapit; quàm inter alias superiùs descriptas, putà immensitatem, potentiam, & similes, quæ à natura habent, ut reverentiam potius, quàm amorem sui objecti excitent.

2. Et primò nemini esse dubium potest, quin DEI pulchritudo reliquas omnes illius prærogativas, & perfectiones intrà se complectatur: tum quia pulchrum, & bonum, Authoribus Dionysio Areopagitâ, & Thoma Aquinate, (*De Div. Nom. c. 4. & 1. 2. qu. 27. a. 1. ad 3.*) nequaquam duæ res, sed duplex representatio ejusdem rei sunt; tum quia, cum nulla DEI perfectio non summam in peculiari suo genere pulchritudinem præferat; nulla quoque ad omnimodam pulchritudinem constituendam, quasi hujus pars non concurrat: ac proinde omnia illa decora, quæ ipsum ut optimum, pariter quoque ut pulcherrimum exhibent. Explicandum tantummodo superest, quænam sit propria, & peculiaris species, ratione cujus bonitas, & pulchritudo, licet unum, atque idem in DEO sint, duæ tamen nobis,

bis, ac diversæ qualitates appareant. Id por-
 rò ut perspici queat, statuo cum Angelico Do-
 ctore D. Thoma, (1. p. qu. 5. a. 4. ad 1. &
 1. 2. qu. 27. a. 2.) *A bono propriè respici appeti-
 tum, à pulchro verò vim cognoscitivam: ità ut
 pulchrum addat supra bonum, ordinem quemdam
 ad vim cognoscitivam: & bonum dicatur, quod
 simpliciter complacet appetitui; pulchrum verò di-
 citur, cujus ipsa apprehensio placet.* Et hanc ejus
 doctrinam paulò uberiùs declarans, addo,
 quamvis utraque facultas tam cognoscitiva,
 quàm appetitiva, tum in bonum, cum pul-
 chrum feratur; rem tamen pulchram dici,
 prout duntaxat priorem facultatem oblectat;
 bonum verò, prout alteri placet. Exemplis
 manifestior res fiet: si tabulam ego Apellis
 contempler, níl ibi attendens, atque æstimans
 præter singulare artificium, quo depicta est,
 solam in ea rationem rei pulchræ considero.
 Siquidem artificii elegantia dos est, quæ non
 aliis, quàm solis cognoscitivis facultatibus vi-
 sivi nimirum, & intellectui arridet. At si, cu-
 jus ea sit pretii, cogitem, atque hac de causa
 habendæ illius desiderio succendar; eandem,
 licèt pulchram, non ùt talem, sed ùt aliquid
 possidenti bonum respicio: cum pretii magni-
 tudo appetitum solummodo moveat, oculo-

rum verò, & intellectûs aciem minimè afficiat. Simili ratione possum principis alicujus viri liberalitatem intueri, & amare, vel prout virtus est, quæ aspici finè approbatione mentis nequeat, vel quatenus emolumentum mihi quidpiam promittit. Ubi pariter quis facilè agnoscat, eandem rem in priori consideratione velut pulchram, & in altera velut bonam spectari.

3. Atque hinc colligi possunt quædam notatu digna, inter amorem pulchri, & amorem boni discrimina. Primum est, amorem pulchri, prout merè talis, esse amorem puræ benevolentiae, & ab omni propriæ utilitatis cura se junctum: utpote qui in sola objecti perfectione hæret, eaque unicè delectatur. At boni amorem, accepti secundum propriam rationem, qua à pulchro distinguitur, amorem esse, ut vocant concupiscentiæ: utpote qui non objecti perfectione, sed fructu inde sibi proventuro gaudet. Imò Maximus Tyrius, (*Serm. II.*) Platonice Philosophiæ principii inhærens, non nisi pulchrum à vero amore spectari docet: solisque iis actibus voluntatis, qui in pulchro acquiescunt, propriè amoris nomen congruere, reliquos verò omnes debere potius cupiditatem vocari. *Se-*
cun-

cundum discrimen est, animam circa bonum agentis ritu se habere, ceu quæ illud concupiscendo ad se attrahit: circa pulchrum verò instar patientis, ceu quæ ab illo delectationis vi rapitur. Idque discrimen in ipsismet animadverti utriusque objecti definitionibus potest. Cum & bonum ab Aristotele definiatur, (L. I. Rhet. c. 6.) *Quod omnia appetunt*; & pulchrum à Dionysio Areopagita, secundum vim Græci nominis, (De Div. Nom. c. 4.) *Quod omnia ad se vocat*. Tertium discrimen, observatum à Luciano, & Isocrate, est, bonum esse aliquando invidiæ materiam, pulchrum verò nunquam: cum possint homines invidere alteri; quamcunque ipsius dotem, imò & ipsammet pulchritudinem, si eam non aliter spectent, quàm ut bonum ipsi utile: at non etiam, si eam intueantur, prout merè est pulchritudo: secundum quam rationem nequit ullum objectum, alios in suis spectatoribus, quàm delectationis, & benevolentiae affectus ciere. (Luc. in Charid. Isocr. in Enc. Hel.)

4. Jam verò, quod alterum hujus capituli initio affirmavi, efficacem præter modum, inque animis ad se rapiendis magico quovis carmine validiorem pulchri vim esse, documentato esse possunt effectus sanè miri, vel ab ea

pulchritudine, quæ infima cæteroqui in suo genere est, sensibili nimirum, & corporea producti. Quamvis enim nusquam cernere in terris hanc sit, omnibus suis numeris, partibusque absolutam (DEO id salubriter providente, nè loco sublevandi, deducendique ad divinam pulchritudinem hominum animos, retineret eos potius in sui admiratione defixos, & supremi illius exemplaris oblitos) quis tamen explicare sat possit, quibus illecebris ipsa hæc adeo imperfecta pulchritudo etiam sapientissimorum, potentissimorumque hominum sibi corda subjiciat? adeo ut eam sæpenumero, ceu decus cæleste, & humano augustius venerari non dubitent, coramque illa suæ totius majestatis, ac potentiae obliviscantur: magis gaudentes ei subesse, quam alios sibi habere subjectos, nihilque impensæ, aut laboris recusantes, quo possint rem gratam ei facere. Quæ confirmare Isocratis testimonio possem, scribentis, erga personas hoc privilegio à natura ornatas ita nos communiter animo affici, ut *iis libentiùs inserviamus, quam aliis imperemus, majorémque iis gratiam habeamus, si multa imperent, quam si nihil præcipiant.* (In Enc. Hel.) Sed multò illa evidentius confirmant, sive Samson prodi hostibus, invictò-
que

que suo robore exui se passus, nè Dalilam contristaret; sive Salomon, in errores priori sua sapientia indignissimos à Moabitidum, & Ægyptiarum mulierum venustate abductus; sive Holofernes captivus, imò & victima suæ dedititiæ Judithæ. Ut alios præterea innumeros taceam, qui similibus exemplis ostendunt, quàm appositè in pulchritudinem quadret titulus à Carneade ipsi attributus, (*Laërt. in vita Arist.*) *Regni nulla armorum vi egentis.* Cum, quòd magni Reges imperium, non nisi per suorum exercituum vires, nec ulterius, quàm super devictarum gentium corpora acquirunt; ipsa per se tantum, nullisque seu armis instructa, seu agminibus cincta, supra ipsosmet terrarum victores consequatur. Adeò ut veriùs, quàm Cæsar, gloriari possit, satis sibi esse ad vincendum, si adversas acies tantummodo videat: (*Plut. in Cæs.*) *Veni, vidi, vici:* imò si tantummodo ab iis videatur. Quapropter non malè philosophatus fuisse Neotericus quidam scriptor videtur, dum pulchritudinem definiri posse dixit: rem usque adeò ad imperandum natam, ut homines ejus iussa beneficiorum locò habeant, eique servire felicitatem suam putent. (*Pignat. de Pulch. c. 3.*)

5. Fateor quidem, hujusmodi effectus non semper proficisci à puro, & liberali illo amore, quem supra proprium esse pulchritudinis diximus; sed plerumque originem ducere ex sordida quadam cupiditate, quæ pulchritudinem, quasi voluptatis instrumentum amet: ad hunc finem eam dirigens, non finè injurioso, & penè sacrilego tam cælestis, & per se amabilis prærogativæ abusu. Ajo nihilominus, posse accidere, ut quispiam eximix alicujus pulchritudinis amore capiatur, licèt nihil indè fructûs sperans, eò quòd à persona adamata, ob longè disparem conditionem, neque ipse, neque suus amor sciri unquam possit: & tamen de nulla re magis, quàm de personæ hujusmodi gloria, & felicitate gaudeat, nihil ægriùs ferat, quàm si ab aliquo injuriâ affectam videat, quibuslibet demum seu prosperis, seu adversis ejus casibus perinde afficiatur, ac si sua ibi res ageretur. Experiencia certè palàm omnibus facit, nimis magnam doti huic vim inesse ad hominum animos, citra quævis alia incitamenta, in amorem sui detrahendos: neque ullum cor reperiri tam ferreum, ut arcana, & plusquam magnetica illius efficacitati immotum resistat: nisi fortè aut oculis careat (qualem teste Laërtio

tio

tio Aristoteles existimavit, percontanti: cur pulchra delectandi vim habeant? respondens: non nisi à cæco id quæri posse) aut oculos non hominis, sed belluarum habeat; (cùm his duntaxat nullum natura pulchri sensum indiderit) aut denique plusquam humana mentis acie sit, nempe adeò perspicax ad spiritualis pulchritudinis visum, ut præ excellentiori huius fulgore corpoream quamvis lucem possit negligere. Nam cæteroqui, si hæc absint, seu ferini stuporis, seu intelligentiæ humanam excedentis prodigia, communem adeò inter homines pulchritudinis æstimationem, amoremque esse cernimus, ut D. Ambrosius ipsimet bonæ corporis valetudini eam præferre non dubitet: (*L. I. Offic. c. 45.*) & supra memoratus Isocrates, (*In Enc. Hel.*) *Nihil esse, affirmet, in tota rerum natura pulchritudine augustius, nihil pretiosius, nihil divinius*: Neque solum receptus apud quasdam gentes mos fuerit, (*Strab. L. 6. & Athen. L. 13.*) eum sibi Regem eligendi, qui omnibus corporis specie antestaret; sed Aristoteles itidem censeat, (*L. 5. Polit. c. 3.*) si quis tali formæ præstantiâ esset, qualem Dii præferunt, cùm nobis intuendos se exhibent, dignum fore, cui cæteri omnes supremam potestatem, atque imperium de-

ferrent. Quare etiam David pulchritudini DEI-
Hominis virtutem attribuit, subijciendi sibi or-
bem terrarum, canens ei: *Specie tua, & pulchri-
tudine tua intende, prospere procede, & regna.*
(Ps. 44.)

6. Quæ cum ita se habeant, promptum
cuique est inde arguere, quanti momenti sit,
ad flagrantissimum DEI amorem in corde ex-
citandum, eum sibi repræsentare sub hac tam
amabili specie, ceu objectum videlicet ultra
omnia, quæ videri oculis, vel fingi animo pos-
sunt pulcherrimum, imò ut ipsammet puram,
archetypam, universalémque, & omnimo-
dam pulchritudinem. Ah! si talem illum af-
fuescamus concipere, nemo certè unus erit
inter homines voluntatis tam obtusæ, quin
motus saltèm in se experiatur, à pulchritudi-
ne creata, & infinita cieri solitos: motus nem-
pe amoris usquequaque puri, & ab omni uti-
litate propriæ respectu vacui; cujus suavissi-
ma vi totus extra se rapiatur, inque illud in-
comparabile objectum cum suis omnibus cu-
ris, atq; affectibus transeat: nihil æquè optans,
ac illi gratificari, ac illius honori inservire, ac,
quoscunque hominum possit illius ad obsequi-
um perducere, nec quidquam alibi habens,
unde tantum jucunditatis hauriat, quantum
ex

ex infinita illius perfectione, beatitudine, & gloria; aut de quo ita mœreat, ut de nimis exiguo illius inter homines amore, atque cultu. Sed, quoniam arcana incomprehensibilis illius naturæ decora apprehendi à nostris mentibus nisi per sensuum imagines nequeunt, neque hi alias nobis suggerunt, præterquam corporeæ pulchritudinis species; ad einitendum supra illos illorum sequi ductum necesse habemus: explicando primùm, quid ab iis sub hoc pulchri nomine intelligatur: tum colligendo, præter corporum pulchritudinem, quam ipsi unam attingunt, aliam superesse multò præstantiorem, & iis prorsus ignotam, quæ non nisi objectis spiritualibus convenit. His enim peractis, minùs difficile experiemur, mentem attollere ad tertiam, plus etiam, quàm spiritualem, neque corporeis tantùm sensibus, sed & creato quovis intellectu eminentiorem pulchritudinem, qualis est pulchritudo divina.

7. Exorsuri itaque à proximis sumamus pulchritudinem inter omnes notissimam, nimirum visibilem, interrogando oculos, quidnam sit, quod in ea tam jucundum reperiunt, totàmque illius amabilitatem non alibi audiemus consistere, quàm in concinna partium
pro.

proportione, cui vividus, & suavis color accedat. Ità eorum locò nobis respondet D. Ambrosius, scribens, (*Lib. 2. Hexam.*) *Vera est pulchritudo, & in singulis membris esse, quod deceat, & in toto.* Ità S. Basilius affirmans, (*In 1s. 44.*) *Pulchrum esse, quod in membrorum compositione concinnè, ac decenter aptatum est, atque efflorescentem habet gratiam.* Ità demum, ut de aliis pluribus taceam, D. Augustinus, & Cicero: (*Aug. L. 22. de Civ. c. 19. Cic. L. 4. Tusc.*) *juxta quos: Corporum pulchritudo est congruentia partium, vel apta figura membrorum, cum quadam suavitate coloris.* Unde colligitur primò, ad corporis cujusq; pulchritudinem duas necessariò conditiones requiri: alteram, ut sibi aptè, decentèrque respondeat, nempe ut partibus constet inter se variis, & quarum quavis congruentem cæteris omnibus figuram, magnitudinem, ac situm habeat: alteram, ut colore illustretur vivido, & naturæ suæ accommodo, quique ideo non per se tantum, sed prout etiam in ipso est, intuentes delectet: qualis non esset in humana facie color flavus, aut viridis: esto uterque in aliis corporibus, ubi à natura exigitur, nempe alter in auro, & alter in smaragdinis gratus visui accidat. *Quare etiam Æthiopes ideo pulchriorem arbitrantur*

tur hominis vultum, si niger, quàm si candidus sit, vel purpureus; qua peculiari regionis suæ experientiâ decepti, colorem ejusmodi inter cæteros omnes maximè proprium hominis censent. Colligitur secundò, pulchritudinem absolutam, & propriam non nisi in corporibus animatis existere. Nam alia, putà adamas, sidus, vel aër serenus, cùm nulla n diversitatem partium habeant, nullam itèm possunt earum inter se symetriad, & proportionem habere, neque aut perfectè pulchra appellari, aut illam afferre intuentibus delectationem, quæ rerum absolutè pulchrarum est propria. Colligitur denique, in ipsis corporibus animatis, ceu tria sunt animarum genera, secundùm perfectionem naturalem disparia, nempe anima vegetans, quæ infimum gradum obtinet; sentiens, quæ in medio consistit; & rationalis, cui supremus debetur; sic tria etiam, paritèrque inæqualia reperiri pulchritudinis genera: infimam nempe, quæ in plantis cernitur; mediam, quæ in brutis; & summam, quæ homines decorat. Cùm enim neque excellentior possit esse anima, quin ampliorem operandi vim habeat, neque ampliorem hanc habere, quin plura, & perfectiora organa in corpore exigat, necessariò
hinc

hinc consequitur, ubi excellentior est anima, perfectiorem debere item esse organorum structuram, ac proinde symmetriam, & pulchritudinem corporis, prout rite advertit Doctor Angelicus, ex majori virtute operandi arguens, (1. p. qu. 76. a. 5. ad 3.) *Majorem esse diversitatem partium in animalibus perfectis, quam in imperfectis, & in his, quam in plantis.* Adde, quod præter hæc dictã stabilem, & perpetuò inhærentem corporibus pulchritudinem, duas quoque alias observare est, & ab ipsa distinctas, & nihilo ipsã delectabiles, atque amabiles minùs; alteram scilicet locutionis, & alteram gestuum: quarum prior posita est in vocis tum qualitate, tum temperatione, suavi, varia, efficaci, ad rerum, & affectuum expressionem apposita, quæque in aures, & animos audientium jucundissimè influat; posterior verò in corporis motu vivido, elegantiori, ad omnimodam concinnitatem exacto, in quo mirus quidam lepos effulgeat. Atqui duas istiusmodi venustates tum propter mutuam partium congruentiam, tum propter vitæ, atque animæ jubar, quo illustrantur, sensibus gratas, quivis facilè agnoscet, in nullo alio præstantiores, quàm in homine existere. Nam in plantis nè vestigium quidem, vel

um.

umbra earum occurrit. Bruta verò animantia, esto iis aliquatenus decorentur, nunquam tamen ad humanam in iisdem excellentiam pertingunt. Quare hoc etiam ex capite manifestum apparet, talem in corporibus animantis externæ pulchritudinis ordinem esse, qualis in eorum animabus naturalis præstantiæ sit ordo: nec proinde ullum assignari posse corpus, majoris quàm humanum pulchritudinis capax.

8. Locus jam postulat, ut explicato, quidnam sit, & ubi, quòque ordine reperiantur pulchritudo sensibilis; novam quoque aliam existere in natura ostendamus, corporeis sensibus inaccessam, & spiritualium tantummodo rerum propriam pulchritudinem. Neque id probare, & percipere ullius negotii erit, si ratum apud nos maneat, quod primi instar principii suprà statuimus, pulchri scilicet vim, & naturam in eo universè positam esse, ut cognoscendi facultatibus perfectionis suæ merito delectabile accidat. Quis enim inficiari, aut revocare in dubium potest, quin sapientia, virtus, veritas, ratio, essentia animæ, & alia hujusmodi objecta, contemplanti, & cognoscenti ea voluptatem afferant? Aut quemnam in ultima mundi barbaria inven-

ni-

nire hominem erit, humani adeo sensûs expertem; ut narrari audiens, vel coram intuentens egregia justitiæ, fidei, fortitudinis, liberalitatis facinora; nihil indè jucunditatis hauriat, non ea approbet, cùmque plausu excipiat, non eorum diligat, & miretur Authorem? si ergo non aliunde habent corpora, ut pulchra appellentur, nisi quia eleganti, & concinna sua specie intuentes oblectant; quidni spirituale etiam quodvis objectum eandem pulchri appellationem mereatur, ubi eandem se agnoscentes oblectandi vim habeat? Merebitur procul dubio, & tantò justius, quantò spiritualis ejus concinnitas altioris est generis, ac propterea contemplatu jucundior. Idque clariùs adhuc patebit ex consideratione sui contrarii: fastidii nimirum, atque odii, quod interiori sua turpitudine nobis afferunt proditiones, injustitiæ, crudelitates, & alia id genus fœda, atque indigna facinora. Cùm similia morum dehonestamenta intuentes, multò plus nausæ, & abominationis soleamus concipere, quàm ad turpissimi cujusque corporis speciem. Imò, fac juvenem hic adesse oris venustate nullo non superiorem Narcisso, & Ganymede, sed ità, ut in illo tam spectabili corpore animum gerat omnino diffim-

mi-

milem; nihil generosi, & egregii spirantem,
 humani omnis ritûs, & urbanitatis ignarum,
 sordidum, avarum, perfidum, ingratum, cru-
 delem, ac præterea mentis tam obtusæ, atque
 plumbeæ, ut vix obvia percipere, vix tria ver-
 ba in familiari sermone contexere invicem
 noverit. Quotusquisque non videt, interio-
 rem hanc animi sœditatem multò plus ei apud
 homines parituram contemptûs, quàm æsti-
 mationis, atque amoris illam corporis pul-
 chritudinem? Nemo certè erit, quem illius
 familiaritatis non pudeat, quique non dicam
 amare, sed vel ferre illum queat. Contra-
 riorò finge animo Æsopum aliquem, nulla
 non corporis parte abnormem, luridum vul-
 tum, claudum incessu, pumilum, gibbum, di-
 stortum. Si nihilominus ex informi illo cor-
 poris radios transmittat ingenii acumine, & sub-
 limitate admirabilis; doctrinæ juxta multi-
 tudinis, & eximix, indolis vividæ, comis, ge-
 nerosæ, regalis, ad summa omnia factæ, ab
 omni vitiorum labe abhorrentis; animi de-
 lectum nihil præter rectum amantis, nullâ non
 virtutum, & morum disciplinâ exculti, in ju-
 rando mirè certi, & secundùm affectus ad-
 rationis amussim compositi. Quisnam pote-
 rit non eum admirari? quis non ejus amici-
 tiam

tiam, & familiarem congressum quærere? Quis non de illo affirmare, quod de Clarano scriptum à Seneca est: (Ep. 66.) *Clarus mihi videtur in exemplar editus, ut scire possimus, non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari?* Certè sapiens illa apud Laërtium, (In vita Crat.) & plùs quàm fæmina Hypparchia, esto plura in promptu haberet cum juvenibus, genere, opulentia, & formâ præclaris connubia; omnibus iis tamen Cratetis Philosophi squalorem, atque inopiam, sive, ut loquar veriùs, sapientiam, & virtutem præhabuit: nullis passa se cognatorum persuasionibus adduci, ut alium relicto eo sponsum vellet. Usque adeò amabilior, & gratior eam rite agnoscenti est interioris, quàm externæ pulchritudinis species. Neque hi exotici sunt, & paucorum tantummodo hominum sensus, sed omnibus à natura infiti, & quorum, teste D. Augustino, quotidiana ubique occurrunt exempla. *Habes domos servos, (ait sanctus Doctor) unum deformem corpore, alium pulcherrimum, sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi, quem plùs diligas? & video te amare invisibilia. Quid ergo? quoniam plùs amas servum fidelem, licet deformem corpore, quàm pulchrum infidelem;*

pulchris præposuisti? Utique non; sed pulchriora
 sedis præposuisti. Contempsisti enim oculos carnis,
 & existi oculos cordis. Interrogasti oculos carnis,
 & quid tibi renuntiârunt? Ille pulcher est, ille fœ-
 dum. Repulisti eos, eorum testimonium reprobasti.
 Existi oculos cordis in servum fidelem, & non in
 servum pulchrum: & dixisti, quid fide pulchrius,
 quid infidelitate deformius? (Serm. 17. de verb.
 apost.)

9. Quod si plerique hominum vehemen-
 tius rapi, & jucundius affici à sensibili, quàm
 à spirituali pulchritudine solent, non ideo id
 veri est dicendum, quòd majorem hac esse il-
 lam putent: cum opinionem contrariam altè
 adeò etiam in rudiorum animis videamus à
 natura esse insculptam, ut nulla aptiori ima-
 gine extraordinariam corporis alicujus venu-
 ritatem exprimere se posse arbitrentur, quàm
 dicant, pulchrum est instar Angeli. Sed ea
 magis de causa hic effectus contingit, quia he-
 terior in plerisque hominum est mentis obtu-
 sitas, quo spiritualia, quàm oculorum, quo
 corporea cernuntur. Quamobrem solers
 Platonis animadversio fuit, peculiare hoc ex-
 ceptum pulchritudinis privilegium esse, ut in-
 sensibilia objecta omnia maximè amabilis vulgo ho-
 minum sit: tanquam scilicet bonum, & reli-

quis sensibilibus majus, & spiritualibus notius: ut proinde & primis, quia præstantior, & secundis, quia compertior, magis placeat. Nam cæteroqui, prout ab eodem Philosopho additur, si sapientia, & reliquæ interiores dotes oculorum visui paterent, vel tam claro, & distincto perciperentur mentis obtutu, quàm ea ipsa, quæ oculis cernimus, dubitari certè non potest, quin, quantum speciosissimo cuius corpori sua specie antecellunt, tantò etiam plùs eodem nos delectarent, inque amorem sui raperent. *Visus nobis acutissimus est sensuum omnium, qui per corpus fiunt, quo sapientia non cernitur. Ardentes enim excitaret amores, si quod tale ipsius simulacrum manifestum oculis proveniret. At verò pulchritudo sola hanc habuit sortem, ut maximè omnium & perspicua sit, & amabilis.* (In Phædro.)

10. Quid verò, si ex ipsa sensibili pulchritudine argumentum diceretur, inferioris sui gradûs, & meriti præ altera, quæ sensus fugit, & solo mentis visu percipitur? Atqui duo hinc etiam ducuntur, alterum ab effectrice, alterumque à formali ipsius causa desumptum. Nam primò, si venustissimum quodvis corpus intueri libeat, facilè deprehendemus, totam visibilem illius venustatem ex invisibili alio

prin-

principio, anima nempe ipsum vegetante originem ducere. Patet id in corpore humano, cuius quodvis decus, seu membrorum proportio, seu coloris gratia, seu gestuum lepos, seu locutionis suavitas non diutiùs manet, quàm anima impertiri vitam ei pergat: illaque discedente nihil jam amari, & visum jucundi sive in genis, sive in reliquis artibus superest: quin & ipsa hominis figura paucis diebus in sordidissimam tabis colluviem, nec multò post in pulveris, nudorumque ossium acervum resolvitur: nemini obscurum relinquens, unde nam provenerit, qui antea ibi decor floruerat. Quemadmodum igitur, qui nubem aspiceret paulò ante obscuram, & squalidam ex oriente à tergo illius sole subito inaurari, purpurascere, & jucundissimæ lucis jubar quaquaversum diffundere; argueret procul duso, novam illam repentinæ pulchritudinis gratiam nequaquam à se ipsa, sed ab alio pulchriore principio provenire; haud aliter, cum videamus nos quoque sordidam illam humanam massam, quæ in foetæ parentis utero humani corporis materia erat, anima sese infante novam hanc adeoque decoram speciem induere, quæ in vivis, & perfectis corporibus cernitur; dubitare minimè possumus,

quin nostro in corpore aliquid sit ipso pulchrius, & à quo, licèt non viso, suam spectabilem pulchritudinem hauriat. Denique certissima fide inter omnes constat: *Propter quod unumquodque sit tale, illud magis esse.* (Ar. L. 2. *Metaph. c. 1.*) Quapropter, si solem lucidiorè aère à se illustrato, ignem calidiorè aquà à se calefactà, & principia conclusionibus indè deductis certiora existimamus; animam quoque pulcriorè existimemus, necesse est, corpore, quod ab ipsa pulchritudinem suam mutuatur.

II. Nec minùs validè, & clarè idem evincit alterum argumentum ex forma ipsa omnis pulchri corporei, nempe ex mutua illius partium convenientia petitur. Nemini quippe esse dubium potest, quin, si objecti alicujus effigies, esto imperfecta, pulchritudinis suæ aspectu intuentes delectat; multò eosdem delectaturum sit magis ipsummet exemplar in vera, & germana sua specie propositum. Atqui proportio illa, unde tanquam à formali suo principio constituitur pulchritudo sensibilis, nihil aliud sapientum judicio est, quàm imago quædam rationis: sed imago rudis, impropria, & suo ab exemplari deficiens, qualis est pictura, D. Michaëlem Archangelum

instar juvenis alati exhibens, & qualis necessa-
riò est quæcunque rerum purè spiritualium
sensibilis repræsentatio: utpote quæ proto-
typon habet ordinis longè altioris, & à se pror-
sus diversi. Si ergo hæc rationis effigies,
quamvis imperfectè adeò, ruditerque exem-
plar suum repræsentans, pulchrum, & dele-
ctabile sui spectaculum intuentibus præbet;
nihil sanè obstat, quin possimus manifestò hinc
colligere, multò pulchriorem, & visu jucun-
diorè ipsammet rationem esse, si secundum
propriam, & spiritualem suam speciem cer-
natur: quemadmodum ex pulchritudine,
quam Angelus in sensibili aliqua sui imagine
præferet, fas cuique est colligere, quantò
pulchrior cælestis ille spiritus sit in suamet na-
tura, & substantia. Quin imò illud etiam ad-
jecerim, in ipsismet corporibus pulchris non
tam ipsa, quàm rationem ibi adumbratam a-
mari, & placere. Nam veluti, quando solis
radii aliunde repercussi nos illuminant, & ca-
lescunt, illud lumen, & ille calor, solis po-
tius sunt effectus, quàm corporis, à quo illius
radii ad nos reflectuntur; sic cum corporum
pulchritudo non aliud sit, quàm rationis radi-
us ibi translucens, & ad nos per visum refle-
ctus, amoris, & delectationis affectus prove-

nire indè soliti, non tam à corporibus pulchris, quàm à ratione in iis tralucente excitantur. Idémque hìc nobis accidit, quod sponsæ absentis sponsi imaginem in picta tabella intuenti, quæ procul dubio ad eam illius speciem jucundè contemplandam non nisi ab illius amore impellitur, illum amans, dum eam diligit, illóque fruens, dum eâ delectatur. Sic namque etiam in nobis non aliunde amor corporum sibi aptè respondentium, & voluptas ea contemplandi oritur, ac ex innato nostrorum rationalium spirituum erga rationem instinctu: quam cùm nequeamus clarè adeò in archetypa sua specie intueri, gaudemus saltem in obviis quibusque illius umbris, & vestigiis spectare: ipsam ideo revera admirantes, amantésque, quando corporum venustatem amare, & admirari videmur.

12. Cujus veritatis fides, quò testatior, certiorque adhuc fiat; operæ pretium fuerit, duo naturalis necessitudinis inter rationem, externámque venustatem argumenta observare. Primum est, quod à M. Tullio notatum habemus: (*L. 1. de Off.*) nulli scilicet animalium ratione carentium, sed uni duntaxat homini inesse à natura pulchritudinis sensum, adeò ut viù ejus gaudeat, ergaque illam amo-

re

re afficiatur. Alterum, quod Plato animad-
versum reliquit: (*In Hip. maj.*) nempe in ipso
homine nullum externorum sensuum pulchra
pro objecto habere, iisque delectari, præter
visum, atque auditum. Qui duo sensus plus
aliquid reliquis tribus de ratione, & intellectu
participant: tum quia soli ad sua objecta attingenda eorum proximitate non indigent, sed instar intellectûs etiam longè remota percipiunt; tum quia eorum operationes magis conferunt ad mentem multiplici rerum notitiâ ditandam, quàm ad tuendam, fovendamque pro trium reliquorum more, atque officio corporis vitam. Facile enim hinc quisque collegerit, non alia de causâ solas animas rationis participes, & solos sensus rationi maximè affines peculiari instinctu erga pulchritudinem ferri; nisi, quia in ejus symmetria, & proportionem aliquam rationis sibi agnatæ speciem reperiunt. Audire conclusionis locò D. Thomam libeat: *sensus delectatur in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus. Nam & sensus ratio quædam est, & omnis virtus cognoscitiva.* (*1. p. qu. 5. a. 4. ad 1.*)

13. Erit hinc fortè, qui objiciat, si verum id foret, homines rerum spiritualium, & honestatis amantiore, magis etiam proclives ad

corporeæ venustatis amorem futuros: quod tamen experientia falsum esse evincit, cum hos videamus illius curâ minimè affici: contra verò, qui indolis magis brutæ, addictæque sensibus sunt, non posse sibi temperare, quin violentissimo, & insanix simili amore ad illam ferantur. Sed nihil ponderis in hac objectione est. Fateor quippe ex dictis consequi, quantò quisque animū habet ad rationis symmetriam, & proportionem magis compositum; tantò eundem plus delectationis percipere ex musicorum concentuum auditu, æque rerum aspectu, quas vel naturæ, vel artis venustas commendet. Quod si nihilominus homines aliquos externæ pulchritudinis incuriosos, & negligentiores cernimus, dico id evenire, non quia peculiari naturæ instinctu ad eam non propendeant, sed quia vel timent, nè illecebrosa illius specie vehementiùs, quàm par est, capiantur; vel cum idonei sint ad rationem cominus in se ipsa spectandam ipsam potius, quàm imperfecta ipsius simulacra intueri amant: quemadmodum, qui impensè aliquem diligit, quanquam illius absentis imagines jucundè, avidèque contempletur; quando tamen coram præsentem eum habet, amentix genus censet, in suis eum simulacris, quàm in

fe

se ipso intueri malle: siquidem, ut Lactantius scribit, (L. 2. c. 2.) *Homini imago necessaria tum videtur, cum is procul abest: supervacua, cum praesto est.* Quod verò ad alteram spectat objectionis partem; nego homines brutorum instar sensibus magis, quam rationi deditos, ardentius reliquis pulchritudinem corpoream amare. Etenim, quod initio affirmavi, & probè intelligi vellem, amor, quo pulchrū, quatenus speciatim tale prosequimur, nihil privatæ cupiditatis admistum habet, nec objectum amatum ad alios fines refert, sed in eo, tanquam in fine per meram benevolentiam subsistit. Cùm eorum, qui in objectionem proponuntur, minùs rationalium hominum amor nequaquam in pulchro amato sibi finem constituat, sed eo, quasi mero instrumento ad sordidæ alicujus cupiditatis expletionem utatur. Unde nè amor quidem appellari meretur, sed potiùs libido, rabies, dementia. Idque ex effectis adhuc luculentius intelligi potest. Tantum quippe bruta hujusmodi ingenia ab eorum benevolentia absunt, quos formositatis suæ causâ amare, & deperire se dicunt; ut etiam necem sæpenumero iis inferre non dubitent, si fructum obtinere ab iis nequeant, quem unicè in iis amant, & quarunt.

14. Ni-

14. Nihil ergo superesse dubii potest, quin præter sensibilem pulchritudinem rerum alia quoque nobilioris sortis sit, qua spirituales prærogativæ, & substantiæ exornantur. Sed, licet id omnibus quàm clarissimè pateat, non tamen æquè omnibus patet, cujusmodi sit hæc interior formositas, quàmque cum sensibili convenientiam, & similitudinem habeat, adeò ut ad idem genus revocari ambæ possint, eadèmq; universali notione comprehendi. Corporea siquidem pulchritudo, quam solam nos per se agnoscimus, & per cujus species alteram in mente formamus, ad essentiæ suæ constitutionem partium sibi aptè respondentium varietatem, & vividi coloris gratiam necessariò requirit: qui color, quæque partes nullum habent, præterquam in objectis sensibilibus locum. Ut proinde, quæ spirituality, & remota à sensibus sunt, aliarum quidem perfectionum meritò videantur iis antecellere, sed non etiam peculiaris illius perfectionis nomine, quam in rebus corporeis adeò amabilem experimur, & pulchritudinem speciatim vocamus.

15. Declarandæ itaque hujus rei gratiâ dico primò, si pulchritudinis nomen non nisi ad peculiarem eam perfectionem denotandam
in-

institutum est, per quam jucunda oculis accidunt corpora; nullum corporeæ concretionis expers objectum posse, nisi improprie, pulchrum vocari. Quemadmodum, si magnitudinis appellatio, secundum primariam suam institutionem, nihil aliud, nisi multitudinem partium inter se distinctarum exprimeret, nulli substantiæ spirituali, atque indivisibili, nisi per translationem congrueret. Ad do tamen, germanam, ceu magnitudinis, sic & pulchritudinis significationem falso, & absque ulla ratione prædictos intrâ limites claudi: cum æquè communiter magnam sapientiam, & magnum montem dicamus: nec minùs proprie arbitremur nos loqui, pulchrum Angelum, quàm pulchram hominis faciem vocando.

16. Dico secundò, proportionem partium, & coloris amœnitate constitui essentiam pulchritudinis, non quidem generatim acceptæ, sed contractæ ad rationem sensibilis, imò neque hujus secundum omnem suam latitudinem, sed quatenus solo oculorum sensu percipitur. Nam alioqui certissimum est, sensibilem pulchritudinem in iis etiam objectis reperiri, quæ ad aures unicè pertinent, velut in concentu fidium, & vocum: ubi præter notas,

tas, & numeros, proprias illius partes, nullus color occurrit, sed illius vices obit claritas, & suavitas soni: quatenus hæ qualitates idem præstant in auribus, quod color objectorum visibilibus in oculis: gratiorem nempe auditu reddentes, quàm sinè iis foret, numerorum concentum: quemadmodum coloris gratia jucundior visu efficit, quàm alioqui per se solam esset, proportionem membrorum.

17. Dico præterea, res spirituales, quamvis revera distinctis, variisque partibus careant, aliquid tamen habere, quod iis æquivalet: quatenus nempe, licèt indivisibiles, atque simplices, efficiunt, & possunt, quidquid possent, efficerentque, si ipsis constarent; quemadmodum numus aureus, etiamsi unicus sit, compluribus tamen argenteis, æreisque numis æquivalet. Videas id in anima rationali, cuius simplicissimum esse tot intrà se continet operandi facultates, virtualiter, ut ajunt, diversas, quot sunt operationes diversæ, quibus fungi naturâ suâ potest. Videas in mente, quæ, quamvis unica cognoscendi virtus sit, tot nihilominus distinctis æquivalet cognoscendi virtutibus, quot sunt objectorum species, quibus cognoscendis per se unam par est. Videas in scientiarum, & virtutum habitibus,

quo-

quorum quilibet videri potest tot peculiarium habituum congeries, quot diversi sunt actus, ad quos exercendos æquè idoneum hominem reddit, atque idoneum reddere alii, atque alii peculiare, inter seque distincti habitus possent. Videas postremò in quibuslibet universè spiritualibus substantiis, & formis, quarum singulæ ingentem facultatum, & appellationum numerum continent, neutiquam sanè inter se distinctarum, sed quæ tamen æstimata illarum virtute censerì possint diversæ, & re ipsa, ceu tales à nobis concipi soleant: quatenus scilicet, si verè inter se distinguerentur, nihil amplius possent efficere; quàm efficiant, tametsi unum sint omnes, atque idem. Jam verò ejusmodi partes, secundum prædictam suam vim, & secundum nostram intelligendi rationem diversæ, si aptè aliis aliæ respondeant, spiritualem quandam proportionem constituunt illi æquivalentem, quæ in objectis sensibilibus provenit ex harmonico partium revera distinctarum consensu. Æquivalentem dixi, sed cum exuperantia perfectionis, & virtutis: tum quia omnis proportio tantò concinnitatis plus habet, quantò major est numerus diversarum partium, quæ amico nexu ibi coeunt; multòque plures recensere est in
ob-

objectis spiritualibus partes æquivalenter diversas, quàm in corporeis verè, & propriè distinctas: tum quia quodvis totum eò majori symmetria temperatur, quò ejus partes in perfectiorem unitatem coalescunt: nec ulli esse dubium potest, quin objecta spiritualia perfectiori modo unum sint, quàm corporea. Breviter: in rerum à materia distinctarum pulchritudine, tota numerosissimæ varietatis gratia, sinè ullo perfectæ unitatis detrimento invenitur: in sensibilibus venustate, præterquam quod minor est varietas, nequit illa ipsa, nisi cum imperfecta unitate componi.

18. Dico quartò, spiritualement pulchritudinem, ceu sensibili æquivalet circa diversitatem, & symmetriam partium, sic habere itè aliquid ei æquivalens circa amœnitatem coloris: quatenus hæc quoque, si minùs propriè, & re ipsa; at secundum similitudinem, & virtutem substantiis materiæ expertibus convenit: idque arcani cujusdam earum fulgoris causâ, qui, licèt vera lux, & verus color non sit, ad eas tamen condecorandas, & visu jucundiores reddendas non minùs, imò etiam plùs valet, quàm vera lux, verùsque color ad majorem afflandam corporibus venustatem, & gratiam. Quòd si fortè quis roget, ubinam hic consistat

ar-

arcanus substantiarum spiritualium fulgor?
 respondebo, consistere primum in ratione iis
 ingenita, quæ conceptis verbis à Regio Pſalte
 (*Pſ. 4.*) *Lumen vultus DEI* nuncupatur: &
 consistere in aliis spiritualibus prærogativis ab
 earum essentia distinctis, sed suavissimæ lucis
 instar ei undique superfusus: cujusmodi sunt
 omnes virtutum, sive ad intellectum, sive ad
 voluntatem pertinentium habitus, & nomina-
 tim sapientia, quæ in sacris Literis (*Sap. 2.*)
Speciosior sole dicitur. Et quamvis noster vi-
 sus ad splendidissimam hujuscemodi lucem
 prorsus cæcutiat, quin & ipsa mentis acies æ-
 gre possit aliquam illius speciem intrà se effin-
 gere; dubitari tamen nequit, quin ea verissi-
 mè existat, & majorem visibili quavis luce, ac
 colorum claritate vim habeat decorandi eos,
 quibus inest, & oblectandi eos, à quibus spe-
 ctatur. Quemadmodum ab Antonio Panor-
 mitano sat perspicuè demonstratum olim est,
 homini rusticano: (*Pontan. L. de Princ.*) qui,
 audiens ab illo in eruditorum Virorum cætu
 commendari splendorem virtutis, id genus
 præconia, ceu inanes verborum ampullas, &
 ceteras nugas deriserat. Age igitur, ô bone!
 inquit Panormitanus, cedo mihi aliquid, quod
 sit splendidius: cùmque alter continuè so-

lem id esse subiecisset; falleris, exceptit Vir sapiens. Neque enim inficiari potes, illud inter duo objecta esse lucidius, quod à pluribus perspici potest. Atqui sol non nisi ab iis, qui oculos habent, perspicitur: virtutem verò juxta cæci, atque oculati agnoscunt, perspiciunt, mirantur. Quapropter fatendum tibi est, non luminosam modò, sed & ipso luminosiore sole ipsam esse. Verissimè is quidem, & secundum ratiocinationem, qua Cicero etiam usus pridem fuerat, ubi scripsit: *Nihil est virtute amabilius, nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum. Quippe cum propter virtutem, & probitatem fiat, ut eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* (De Amic.)

19. Dico postremò, pulchritudinem quàm latissimè acceptam, & secundum significationem sensibili pariter, ac spiritali communem definiri posse: Formam quæ gratum, & admirabile cognoscendi facultatibus reddit objectum, cui inest. Hæc definitio, ceu primum cuique est videre, omnes pulchritudinis species complectitur, nec ulli alteri, præterquam pulchritudini convenit: & secundum illam discerni liquidò potest, non modò pulchrum à non pulchro, sed & pulchrius à minus

nus pulchro ; ac omnibus denique responde-
 ri, quæ circa definitæ rei naturam quæri pos-
 sunt. Quapropter satiùs visum est hoc pacto
 pulchritudinem definire ; quàm eam vel cum
 Petavio , (*Tom. 1. Theol. Dogm. L. 6. c. 8.*) con-
 stituere in rerum ad primam suam ideam con-
 gruentia , vel cum alio recenti scriptore ,
 (*Santjur. par. I. c. 6.*) in apta ordinatione o-
 mnium , quæ alicui rei conveniunt , ut sit se-
 cundùm suum genus perfecta. Hujusmodi
 siquidem definitiones , quamvis idoneæ sint
 ad reddendam rationem , cur hoc dici pul-
 chrum mereatur , illud verò nequaquam , &
 quare hoc illo sit eandem intrà speciem pul-
 chrius ; non tamen etiam sufficiunt ad decla-
 randum , quare , & quo pacto certa quæpiam
 rerum species alteri diversæ speciei pulchri-
 tudinis dote antecellat : putà Angelica huma-
 næ , & humana cuivis alii corporeæ. Stabi-
 lita porrò hac notione universali , quæque
 nullum non includit pulchritudinis genus , si
 differentia inter sensibilem , & spirituales
 quærat ; respondeo , primam consistere in
 iusta proportione diversarum partium , inque
 claritate , & suavitate coloris , vel soni ; alte-
 ram verò dici posse gratiam , & amabilitatem
 quamdam , æquivalentem prædictis duabus

pulchri sensibilis dotibus : quatenus , licet vera diversarum partium proportio , & veri coloris species non sit , eandem tamen , imò etiam majorem , quàm vera proportio , verisque color vim habet oblectandi suo aspectu eas animi facultates , quibus eam datur intueri , & cognoscere ,

20. Ex qua doctrina duas hasce veritates , totidem veluti præsentis materiæ conclusiones licet eruere. Prima esto , quamvis decora concinnitatis inter partes diversas , colorisque vividi , & blandè micantis nequeant objectis spiritualibus nisi metaphoricè attribui ; id tamen , cujus significandi gratiâ iis interdum attribuuntur , quòdque est essentia pulchritudinis generatim acceptæ , virtutem nimirum oblectandi perfectionis suæ aspectu intuentes , propriissimè , & citra omnem metaphoram iis convenire : quemadmodum , quando exempli gratiâ D. Augustinum Africæ solem vocamus ; licet solis nomen non nisi translato affirmari de eo possit , quod tamen metaphoricè hujusmodi nomine designatum , expressumque in eo volumus (singularem nimirum , solisque jubar referentem illius sapientiam) tam verè ipsi convenit , atque soli suum jubar. Secunda veritas sit , pulchrum spiritu-

ale

ale non posse à nobis, nisi vel impropriissimè, vel confusissimè intelligi: impropriissimè, si illud concipiamus secundum species, & lineamenta pulchri corporei, tanquam scilicet ex partibus diversis compositum, candidoque, vel purpureo colore suffusum: confusissimè verò, si, quidquid rebus corporeis simile est, ab illius intellectu excludamus. Quare, cum uterque hic concipiendi modus suis, nec levibus sanè vitiis laboret; ille, quia commentitius, & à vera specie objecti sui discrepans; hic, quia obscuritatis suæ causâ minimè idoneus ad eum excitandum amorem, quo erga res pulchras inflammari homines solent; optimum factu videtur, alterum altero temperare: ità ut in spiritualibus contemplandis objectis aliqua visibilium similitudine utamur, quanta ad animos nostros in eorum admirationem, amorémque rapiendos sit satis: sed simul meminerimus, huiusmodi imaginem ænigma esse, aliud alio significans, & à nativa conditione, ac dignitate rei, quam adumbrat, longissimo intervallo deficiens.

